



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Directorivm Inqvisitorvm F. Nicolai Eymerici Ordinis
Prædicatorum**

Nicolaus <Eymericus>

Venetiis, 1607

Summa seu institutum Primae Patris.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13589

SVMMA EORVM QVAE AB EYMERICO IN SINGVLIS

DIRECTORII PARTIBVS

TRACTANTVR.

Summa seu institutum Primæ Partis.



RADITVRVS. Eymericus quæcunque ad negotium Inquisitionis contra hereticam prauitatem spectant, & quæ ad instruendos, ac dirigendos iudices violatae religionis exiguntur, ut munus suum in causis fidei plenè perfectèque possint adimplere, cum nequeant nosse causam hæresis, ad quam extirpandam sunt constituti, nisi probè intelligant quæ ex fide sunt credenda, & catholicas veritates, quibus hæresis opponitur: ideo in prima operis parte ea commemorat, quæ ad constituendam, & stabiliendam, seu (ut ipse loquitur) ad plantandam fidem pertinent, ut uno contrario cognito alterum facilius percipiat. Itaque ex varijs locis in unum locum confert, & summorum Pontificum, & Conciliorum, & Canonum, & Sanctorum Patrum, & legum decreta, ad fidem, & varios fidei articulos, & catholicas veritates constituendas spectantia, nihil ferme de suo apponens, contentus sola decretorum recitatione: unde primum congerit ex iure Canonico decreta titulorum de summa Trinitate, & fide Catholica, & ea occasione insignium quorundam interpretum expositiones super ea: inde leges ex Codice. rit. de summa Trinitate: inde suo ordine cætera eodem consilio. Postremo duodecim addit questiones, quibus satisfacit plurimis difficultatibus, quæ circa fidem fideique articulos contingere possunt, quas paucis additis, & mutatis, defunxit ex beato Thoma Aquinate.

Summa seu institutum Secundæ Partis.



*Bsolutis in prima parte, quæ ad fidem constituendam attinent, explicat protinus in secunda quæcunque fidem ipsam corrumpere possunt ac violare, ut Catholici ab his abstineant; primum tamen refert unius de decreta contra hæreticos, & de pœnis eorum sancta, quæ in toto iuriis Canonici corpore sub titulis de hæreticis continentur: inde ex varijs etiam eiusdem iuriis titulis eodem consilio accumulat multas decretales, que etiam huic negotio deseruiunt: inde extrauagantes nonnullas, & litteras Apostolicas, quæ de hæretica prauitate coercenda edifferunt: addit præterea ob eandem causam insignium quorundam iuriis interpretum glossemata, quibus præcedentia de hæreticis decreta declarantur: inde proprius ad rem accedens, ex vetusto Concilio Tarragonensi fragmenta quædam commemorat, quibus agitur de multiplici hæreticorum generre, & vetustis pœnis, ac pœnitentijs eorundem: inde addit quæst. 58. quibus, quid hæresis, quid hæreticus, quid error sit, ostendit: rursus usque ad quæst. 38. multo-
ATAQ*

rum